

DISQVISTIO I.

DE CARMINE EPICO VIRGILIANO.

AUTORE C. G. HEYNE.

DE carmine epico vniuerse multa disputare, cum tot habeamus libros, in quibus copiose et accurate de eo praeceptum est, et cum pauci sint, quibus expediat, ut in praeceptis diu detineantur, inutile esse arbitror. Neque etiam talis disputatio ullam ad adolescentum animos habere potest vim aut ullam afferre utilitatem, nisi vno iam vel altero carmine epico perlecto diligenter et docte enarrato; ne nunc illud moneam, praeceptis istis et disputationibus omnino plus promitti quam praestari. Pleraque enim, quae utilitatem aliquam habent, talia sunt, ut ab vnoquoque ingenio liberaliore, ubi vnus vel alter poeta perlectus fuerit, vel, nemine monente, facile animaduerantur; vanis autem et inanibus subtilitatibus et argutiis aetas illa melius caret. Tum utilitas illa, quam praestant, intra iudicium de ingeniorum monumentis, quae manibus iam tractamus, qualecunque ferendum subsistit; ut ii vero, qui aliquem ingenii sui foetum edituri sunt, ex illis praeceptionibus paullo plus quam ex vno vel altero bono exemplo proficiant, expectari non possunt. Eos tamen, qui adolescentibus poetas interpretantur, librorum illorum doctrina imbutos esse velim quam maxime; nam ita demum, ubi ipsi virorum doctorum disputationes accurate cognouerint et animo teneant, in promptu habebunt, in

singulis rebus et causis monere commode et cum fructu enarrare ea, quae adolescentum ingenia alere, iudicia acuere, elegantiae et virtutis sensum aut instillare aut excitare animis possint. Omnino enim praecipendi hisce de rebus vtiliter et cum fructu ad adolescentum animos genus est vnum et fortasse solum, vt scilicet non vniuerso de genere multa, subtiliter forte, sed ad ingenia tenella et rudia parum accommodate, disputentur, verum vt in ipsa interpretatione poetae in singulis locis, rebus, personis ac sententiis ea moneantur salubriter ac breuissimis, quae ex re praesenti et oculis subiecta claritatem suam habent et veritatem. Adolescens enim, qui tam beatus fuerit, vt Homerum et Virgilium interpretis alicuius opera in hunc modum instituta enarratum audierit, disputationes illas aestheticas forte non sine fructu aliquo deinceps perleget; sed initio a tali lectione facto si quis ad poetas cognoscendos pergere voluerit, an is ex doctorum virorum disputationibus ad intelligendos et iudicandos poetas multum profecisse se intellecturus sit, admodum dubito. Sed, vt peruersis hominum nostrorum studiis occurratur, satis haec dicta esse arbitror.

Quae hic a me exponenda sunt, pauca quidem et summatim, ad Virgilianum carmen sunt referenda. Ad huius rationem intelligendam satis est tenere, carmen epicum vniuersum nihil aliud esse, quam narrationem omnibus numeris absolutam ac perfectam, seu narrationis genus praestantissimum et iis virtutibus, quae huic generi inesse possunt, cumulatam; carminisque adeo epici naturam positam esse in rei gestae magnae et arduae narratione ad admirationem efficiendam instituta. Eiusmodi enim narratio praestantissima est ex toto hoc rerum genere. Admiratione animis iniecta quaeritur hic ea, quae omni carmini proposita est, sed in alio genere ab aliis causis proficiscitur, delectatio; quae vtique, si ingenuo et liberali animo digna esse debet, a rerum honestate et vtilitate se iuncta esse nequit, et tanto exquisitior, generosior et plenior

nior est, quo maiora virtutis adhortamenta et incitamenta cum hac ipsa voluptate animis se insinuant; ut adeo, si quis carmini epico magnum aliquod ac praeclarum virtutis et vitae, imprimis publicae, praeceptum subiectum esse debere dixerit, ad rerum utique veritatem dixisse ille videatur; sed poetae epico talis utilitas ad philosophicas rationes exacta non ita proposita esse potest, ut poeticas rationes inde petat aut metiatur; ut rerum narratarum admiratione animi afficiantur, hoc sumum est quod ille sequitur. Ipsa autem rerum animorumque nostrorum natura ita fert, ut, quod a virtute et utilitate publica vacat, ad animos nostros admiratione impellendos vim habere nequeat. Non igitur vlla ratione evenire potest, ut bonum carmen epicum contineat nihil, quod ad publicam et civilem utilitatem valere possit. Magna visissim et ardua consilia, excelsi et magnifici animorum sensus, virtus ultra vulgarem mortalitatis modulum et morem animosa et fortis, nullis aduersis casibus et periculorum terroribus infraeta mens, salus civium, vel imperii maiestas parta vel seruata ac defensa, haec eadem illa sunt, quibus maxime hominum animis admiratio iniici potest, quae adeo imprimis epico carmini idoneam materiam suppeditant.

Admiratio itaque, necesse non est, ut a rerum et naturae miraculis petatur; sed, quod facile quisque intelligit, admiratione animos nostros afficiunt omnino res a magna animi virtute aut immani aliquo scelere profectae, a magno viro, magna ingenii vi, magnis corporis viribus, magnis animi motibus et affectibus, inter magnas difficultates, casus et pericula, magnis praesidiis et auxiliis, magnis de causis susceptae et gestae, quales fere res etiam euentu clarae et insignes magnique exempli esse solent, ut aut magni alicuius viri aut populi vel ciuitatis aut generis adeo humani fortunas in vtramque partem contineant. Non difficilis est ad cognoscendum in rhetoricis et poeticis locus de magnitudine; nec tamen omnis mag-

nitudo epici carminis indoli est accommodata, sed ea maxime, quae a sensibus et a phantasmatibus proficiscitur, quippe quae eadem ad animos mouendos et admiratione imbuendos imprimis valet. Quae quidem omnia passim a viris doctis satis diserte sunt exposita.

Vt admiratione autem tanto magis teneatur animus, non modo res gesta, quae narratur, et actio eo attemperata sit necesse est, vt mirationem faciat, verum etiam narrationis genus et ratio ad admirationem efficiendam vel tuendam idonea requiritur. Qua de re plura monere nihil attinet. Quis enim non videt, orationis genus esse debere nec humile nec molle, sed forte, acre, magnificentum, ornatum, etsi pro argumenti diuersa natura diuerse attemperatum, et quae sunt alia.

A binis hisce tamquam principiis repetenda sunt omnia, quibus carminis epici argumentum, personae epicae, facta, virtutes ac characteres, sententiae, oratio ac dictionis genus constituuntur; verbo, admiratione quaesita delectatio moderatur in hoc genere omnia.

Potest autem accidere mentibus nostris admiratio rerum vel hominum modo cum molliore, modo cum grauiore animorum impulsu; miramur enim alia attonitis similes, alia terrore perculsi, alia miseratione commoti; interdum magno cum animi aestu miratio est coniuncta, interdum cum leniore ac remissione impetu, et cum molliore et suauiore animi affectu. Quo ipso sequitur, vt magna in hoc genere esse possit varietas pro argumenti diuersa natura, vtque inanis sit virorum doctorum opera, qui Homeri ac Virgilii exemplis omnem carminis epici naturam circumscribere voluerunt.

Eam admirationem rerum, quae cum terrore aut cum miseratione et grauiore omnino animi affectu mentem impellit, imprimis ad tenendos animos valere, magnamque delectationem habere, quis non videat et naturae humanae esse consentaneum intelligat. Res haec ex parte animaduersa

maduerſa in opinionem induxit Marmontelium V. Cl.* vt intra tragicos affectus non minus epicum genus contineri et idem argumentum in vtrumque uſum accommodari poſſe exiſtimet. Sed dramate latius patere epicum carmen, hoc eſt, narrationem per cauſas et conſilia expoſitam; et magnos affectus non niſi vnam eſſe ex pluribus admirationis mouendae cauſis, ex ſuperioribus facile intelligitur. Ne illud moneam, epici carminis virtutes multas ex narrationis bonae indole et natura eſſe petendas, ad quam et hoc ſpectat, vt tanto dulcior ſit omnis narratio, quanto magis illa animum terrore vel miſeratione exagitat. Vt vero, quod vir elegantiffimus in medium proferat, ſutilis aliqua tragicarum actionum compages bonum epos efficiat, vereor. At vero ex epici carminis partibus bonas tragoedias fieri poſſe alia res eſt, de qua iam Ariſtoteles egit Poet. c. 23 et 26.

Illud tamen negari nequit, cum id, quod admirationis maioris vim habeat, ad animos noſtros mouendos tanto ſit potentius, heroicum argumentum genus epici carminis nobiliſſimum conſtituere; inprimis ſi ex heroicis temporibus petitum fuerit, quibus deorum interuentu res aut geſtae ſunt aut geri creditae; etſi minus bene a Batteuſio et aliis tota epici carminis vis ex his deorum miniſteriis deducitur.

Reliqua, quae de carmine epico praecipi ſolent, partim ex narrationis bonae ratione ac praeceptis, partim ex poeticae orationis genio, repetita ſunt et facile repeti poſſunt; v. c. quae de epifodiis argute magis quam vere diſputantur. Neque in his animos generoſiores diu detineri velim. Pleraque enim ſunt talia, vt, niſi quis tardiffimi ſit ingeni, primo ſtatim rerum obiectu ea percipiat. Quorſum enim opereſe multa conſcribere aut commemorare, vt factum, quod argumentum epicum contineat, doceas, eſſe debere vnam, et abſolutum, et intra iuſtum temporis ſpa-

* *Poétique Françoisſe*. T. II. p. 234. ſqq.

tium comprehensum? quorsum denectendo et dissoluendo nodo h. e. de difficultatibus obiectis? de episodiorum affinitate et nexu cum epica narratione? Haec intelligere et assequi haud adeo difficile est; sed difficultates paullo maiores tunc nascuntur, si in rem praesentem deducendae sunt istae disputationes, ut appareat, qua ratione et arte in magno factorum numero argumentum carminis ita digeri et adornari possit, ut ad unitatem deducatur res. Hoc ingenio poetae relinquitur; qui, si ad hoc satis ingenio valet, multo magis praeceptorum istorum copiosa expositione carebit.

Vt vero admiratio rei magnae animum tenere et delectatione perfundere possit, quis non videt, ea omnia a poeta curari et sagaciter provideri debere, quae ad illud consilium prodesse, cauere debere ea, quae obesse possint? ante omnia lectoris animum argumenti notione aliqua esse imbuendum, ut nec tamen exfatietur, in mediam rem esse rapiendum, cumque omnia ad sensus et phantasmata in carmine redeant, rerum obiectarum praestigiis ita deliniendum et fallendum, ut iam in alia rerum natura et ordine, alia cogitandi, sentiendi et agendi via et ratione, aliis temporibus, inter alios homines, et extra se solitumque vitae tenorem constitutus, in nihil incidat, quo expergesfactus quasi ex aureo somnio sibi lusum fieri animaduertat; id quod sine indignatione et poenitentia aliqua eius, qui ad se rediit, fieri non potest. Hinc a viris doctis multa cum magno legentum fructu disputata sunt de probabilitate poetica ac mythica et de verisimilitudine, quam poeta sectari debet, qui non ipse vult sua acta rescindere. Omnino ad hanc illusionem, quam recentiores commode vocant, pleraque, quae de carmine epico cum utilitate aliqua praecipi possunt, reuocare in promptu est; et ad hanc normam vel maxime reuocare soleo ea, quae de multis Virgilii locis a VV. DD. disputata sunt.

Virgiliani igitur carminis dotes ut recte discernant ac perspiciant, ad id intendant animos adolescentes, auctor sum, ut quantum cum in toto argumento tum in sin-

gulis partibus infit ad mentes admiratione non sine voluptate tenendas, considerent. Exponitur a poeta Aeneae ex Troia capta profugi, post longos errores, in Latium aduentus a fati monstratus, et condita ab eo in his locis Troianorum colonia nouaque parata sedes. Quis autem non facile intelligat iam ab initio, rem esse magnam, arduam, et admirationis aliquantum habentem, quod profugus ex vrbe incensa aliquis fati ducentibus in tam longinqua terra, in Latio, nouas sedes ponit? Quis non in summis periculis ac discriminibus in nauigatione et mox in Italia obiectis nouam admirationis efficiendae videat esse materiam? nec minus in singulis carminis partibus, in motibus et affectibus animi, in moribus, sententiis? et eidem consilio accommodatum esse orationis genus et colorem et ornamenta? In his ac similibus disertus esse potest facile vnusquisque carminis interpres.

Rerum quidem inueniendarum laudem Virgilius habet admodum diuersam ab Homero, nec tamen nullam aut contemnendam. Alterum cum eo comparem, qui verae historiae exornationem suscipit, alterum cum Milesiae narrationis auctore *. Scilicet Homerus id agebat, vt narrationem rei ad opinionem verae tradere vellet, cuius sublimitate et magnitudine contactam et inflammata habebat mentem; propius attingebat tempora heroica, ipsam rerum famam sequebatur, qualis ea in popularium ore ferebatur, cum ipse temporum decursus omnia in maius auxisset, et, vt in maiorum factis et prisca aevi rebus fieri solet, humana facta ad diuinam aliquam speciem ac dignitatem euexisset; deorum itaque ministeriis omnia exsequebatur, quoniam priscis hominibus hoc erat persuasum, humanis rebus gerendis interesse deos praesentes multoque magis praesentes adfuisse rebus gestis patrum actate, iniicere eos hominum animis bona vel praua consilia, obicere pericula ac dis-

* Egregius est ad animi mei sententiam declarandam locus Baconis de augm. Scientt. lib. II. cap. 13. p. 80. Opp. T. I. non reprehendendus ille, si ad epicam poesin reuocetur.

crimina, irasci, dolere, metuere, sperare; versabatur sub eodem coelo et adierat ea loca, in quibus res illae, a fama tam magnifice ornatae, fuerant gestae; utebatur sermone, natura sua poetico, hoc est, per philosophorum subtilitatem, et rhetorum ac grammaticorum argutias nondum fracto et attenuato, sed qui multum adhuc retinebat ex genio antiqui sermonis Graeci, qui communis esse solet omnium rudium linguarum, ut res ad sensum reuocaret, adeoque sensa animi et cogitata, etiam physicas et ethicas sententias, per rerum naturas, proprietates, vices, utilitates, propter similitudinem aliquam translatas vel adumbratas, declararet; quibus omnibus poetica vis vel maxime inest. Itaque fere accidere solebat, ut philosophorum quoque opiniones vel praeceptiones speciem narrationis factorum induerent. Ortus v. c. mundi ex chao per pugnam elementorum in personas et deos commutatorum erat enarratus. Homerus igitur ea maxime ingenii sollertia est usus, ut videret, narrationes has poetarum ante se, quae philosophicas doctrinas interpretabantur, omnino narrationum poeticarum loco inseruire posse; ut quae a poetis ante se ex prisca sermonis genio exposita essent symbolica rerum cogitatarum adumbratione, ea a se pro factis et fatiis decorum narrarentur veterumque mythorum naturam et faciem haberent. Hac potissimum ratione doctrinam de diis poeticam et systema aliquod mythologicum condidit Homerus; cumque ad epicam et dramaticam rerum expositionem egregie esset accommodatum, in poetarum inde patrimonium illud cecidit. Ut rem absolvam verbo, Homérico ingenio obstetricabantur et, ut sine doctrina doctrinam, sine arte artem habere videretur, efficiebant plurima, quae, si ab isto aeuo discesseris, omnibus poetis deesse necesse est. Virgilius itaque a libero isto ingenii et mentis impetu et praecipite motu interclusus, et tot enthufiasmi fouendi, excitandi et inflammandi adminiculis plane destitutus, priorum poetarum exemplis tamquam cancellis circumscriptus, ingenio frenis iam

tum ab Aristotele aliisque iniectis, ab arte necesse habuit petere omnia. Alio acuo, ab heroica aetate nimis remoto, inter diuersissimas hominum, rerum, temporum, locorum ac coeli rationes suum opus erat aggressus. Sine doctrinae et multae ac variae lectionis copiis, nulla iam tum ingenii laus erat. Fracto in hunc modum mentis impetu, tamen vel sic magnum eius etiam in inueniendis rebus ingenium ex his agnoscas: Primum vidit carmen epicum Homericum, hoc est, heroicum posse perfici et ornari; tum eius vix esse posse argumentum idoneum, nisi ex vltima antiquitate et aetate heroum proprie ita dictorum petitur. Est autem a natura res ita comparata, vt priscorum heroum ipsa nomina, res gestae et fata etiam per se non adeo memorabilia animum humanum teneant et admiratione afficiant. Est porro illa aetate morum ac vitae simplicitas ea, quae poeticum ornatum sublimesque rerum formas et sententiarum grauitatem multo magis suppeditet, quam vita hominum elegantior; quando etiam ipsa facta corporum magis viribus et animorum impetu ac virtute gerebantur, quam consiliorum sagacitate, et artis vel ingenii subtilitate. Tandem gerendis tum rebus ipsi dii interfuisse credebantur. Ita deorum ministeriis res explicare et ex toto cyclo mythico, quae vellet, depromere poterat. Italicis autem mythis nouam et Graecis incognitam suauitatem adiecit. Tum vero praeclaro iudicio argumentum ex vetere cyclo epico delegit, necdum tractatum a claro aliquo poeta, nec tamen plane intactum et Homérico aliisque carminibus quasi contiguum ac finitimum. Ita enim consequutus est hoc, vt materiam haberet copiosam, nec rudem, sed poetica tractatione ab aliis iam subactam et ad epicam dignitatem ac vim accommodatam. Personas et characteres, mores ac facta iam aliunde nota, commendata, constituta ac definita, optauerit sibi poeta quisque. Illud vero ad intelligendum procliue est, quam expedita ac facilis esse debeat copia ornamentorum et episodiorum in tali argumento tam late fuso et patente;

10

quod

quod ipsum Homerus aut vidit aut sensit, cum ex toto belli Troiani decursu vnum heroem, vnum factum selegit, adeoque infinitis aliis rebus ex istius belli historia ad exornandum et amplificandum argumentum recte vti potuit. Hoc vno suo iudicio plurima praeclara carminis sui praesidia et vberimos fructus tulit Maro. Non nouus et ignotus est lectoribus heros, cuius fata exponit, nec Troianorum nomen ac fortuna tam obscura, quin ab initio statim miseratione afficiamur et virtutis admiratione. Deorum autem interuentus, Iunonis et Veneris irae et studia, ac partes iis tribuendae, egregie erant iam ab Homero definitae. Quando itaque primo statim Aeneidis ingressu Iunonis *memor ira, irarumque caussae saeuique dolores* memorantur, odia Iunonia ex Homero statim succurrunt legenti et iam ab initio grauem de Aeneae fortuna sollicitudinem iniiciunt.

Poetae sollertiam et acumen etiam in hoc spectari volo, quod non modo ex nobilissima antiquitatis parte, qualis rerum Troicarum est, verum etiam ex eo temporum articulo Aeneidi; argumentum duxit, qui intra paucorum annorum decursum ingentem vim illustrium facinorum ac memorabilium casuum conuersionesque rerum mirabiles cum Graeciae et Asiae, tum Italiae comprehendit. Nam exciso Ilio dici vix potest, quantopere vbique turbatum sit. Victi victoresque ad nouas sedes quaerendas per totum terrarum orbem dispersi vagabantur*, et versus occidentem maxime, qui tam parum adhuc Graecis notus erat. Primum iis tunc nauigatio vltra Siciliam frequentari coepit, cum ad illud tempus Phoenices illa maria tenerent, nisi quod e Creta aliisque forte insulis paucae naues Siciliam adibant.

Errores isti heroum ab Ilio redeuntium variis Graecorum carminibus epicis, Νόστοι ea inscripta erant, materiam

* Egregius est eam in rem Strabonis locus lib. I. p. 48. B. et lib. III. p. 150. A.

et argumentum praebuerant; quae si ad tempora nostra peruenissent, plura forte vestigia in iis deprehenderemus, quibus Virgilius infiterat; quandoquidem in simili argumento cum iis ipsis versabatur. Sed eadem historiae seu fabulae de Achiuorum reditu magnae tragoediarum Graecarum parti materiam subiecerant, ut inprimis ex Euripide apparet, et multo magis ex tot deperditarum titulis intelligitur. Ex Graecorum autem tragoediis, inprimis Euripidis, omnino poetam plurimum profecisse ex iisque orationis suae dignitatem passim et maiestatem, sententiarum quoque pathos, interdum tragico propius, affectuumque grauitatem tragicam, ut in Amata, in Didone, in Pallante, in Niso et Euryalo, comparasse suspicari licet *. Magna earum pars a superioribus poetis latine iam erat reddita; quae res poetae non parum adiumenti ad orationis cultum et copiam afferre debuit.

Veniamus ad dilectum in heroe, quem sibi sumsit poeta, factum. Primum persona eius, genus, fortuna, nomen ac virtus et olim vnum quemque liberaliter institutum adeoque HomERICA lectione imbutum tenere debuit et nunc tenet; qui casus cum in Italiam adduxerit, discere auemus; Troianorum autem e patria incensa profugorum fata lubenter cognoscimus. Longa nauigatio per mare ista aetate parum nauibus frequentatum ad terras nondum humano cultu, quem aliquando accepturae erant, celebratas quidni locum faciat plurimis periculis ac difficultatibus, quibus Aeneae virtus in admirationem sui rapere poterat? Infestae deae ira asperrima et ex altera parte tot deorum monitus expectationem faciunt magnam †. Quae omnia cum ad rerum magnitudinem, quae
animum

* Cf. ad lib. II. Exc. I. p. 227 et aliis locis.

† Singularis est Marmontelii censura in Virgilium (*Poétique Franç.* T. II. p. 237.) soli superstitioni superstructum esse Aeneae in Italiam aduentum, adeoque nisi ad animos superstitione

animum admiratione detineat, valeant, ad narrationis probabilitatem egregie quoque sunt comparata. Sed cum plura huius generis narrari possint, et in Notis et Excurfibus passim notata sint, in dilectu tamen Aeneae magni poetae ingenium ac iudicium doctum et exquisitum nihil magis arguit, quam quod eum potissimum Carminis sui heroem circumspexit, qui in Italiam Troianorum coloniam deduxerat, nouum regnum in Latio constituerat, vnde Albae Longae adeoque etiam Romae origines repetebantur, quique adeo, etsi nec nobis ingratum esse potest, tanti imperii primas origines cognoscere, tamen Romanis ex omni antiquitate acceptissimus et commendatissimus esse debebat. De Aenea eiusque erroribus ac fatis omnes veteres annales Romanorum loquebantur, quod ex fragmentis passim a Sext. Aurelio Victore seruatis et ex Dionysio ac Festo satis colligi potest; eundemque Aeneam in nonnullis, quae interciderunt, Graecorum carminibus partes sustinuisse non obscuras, ex Lycophrone, qui antiquiora collegit, et ex imitatoribus seu exscriptoribus veterum intelligas, Quinto Calabro lib. XI. et Dictye. Cum autem omnino in Graecorum Romanorumque libris de Aenea tam multa narrata essent, paratas ornandi et amplificandi argumenti copias ei ad manum fuisse apparet. Quae poetae felicitas cum vulgo parum nota et intellecta sit, paullo accuratius mox ea de re, variis etiam deinceps Excurfibus de singulis partibus, agemus. Deducto tandem rerum ordine in Italiam noua rerum, hominum et locorum genera ac nomina subnascebantur, contingebatque adeo poetae,

stitutione simili tactos vim nullam habere posse. Vt verbo rem absolua: Ponamus Aeneam posthabitis deorum monitis in alia terra confedisse, apud Didonem sedem fixisse, quod vir acutissimus malebat; et cogitemus, quo animo illud laturos inter legendum vel audiendum. Aliud est Batteufii acumen, qui narrationi de aduentu Aeneae et Troianorum in Italiam nihil inesse videt quod humanitatis sensum attingat. Quid vero? alienum a te, si homo es, putabis, an magnus et virtute clarus vir ex incensa patria profugus post tot aerumnas, et casus fortiter perlatus tandem ad tutam sedem delatus sit.

quod

quod in votis habere debebat, ut praeter ea, quae a Graecis tractata satis erant, noua et intacta ipse afferre posset.

Iudicium poetae in dilectu herois, quem ornaret, quam elegans et exquisitum sit, etiam ita iudicari posse puto, si quis aliorum carminum epicorum argumenta comparet, ut Herculis vel Thesei facta, Argonautica, bellum Thebanum, Gigantum vel Titanum pugnam; quae omnia etsi summa cum arte tractata et expolita, non tamen ad eum splendorem excoli potuissent, neque satis momenti ad animos impellendos aduertendosque habuissent; cum contra ad popularium imprimis mentes tenendas Aeneae fata tantam vim habere deberent. Adco omnia ea, quae Dionys. Halic. I, 49. ad adstruendam Aeneae in Italiam aduentus veritatem memorat, simul ad poetae sapientiam declarandam valent: Τῆς δὲ ἐπὶ Ἰταλίᾳ Αἰνείου καὶ Τρώων ἀφίξεως Ῥωμαῖοί τε πάντες βέλονται, καὶ τὰ θεώμενα ὑπ' αὐτῶν ἔντε θυσίαις καὶ ἐρεταῖς, μνηύματα, Σιδόλλης τε λόγια, καὶ χροισμοὶ Πυθικοὶ, καὶ ἄλλα πολλά.

Neque vero huic argumenti felicitati et tantis materiae copiis poetae ingenium defuit. Vellem id pluribus a me exponi posset! Sed ne in immensum rerum campum euagetur disputatio, ratio nobis nonnullorum tantum habebitur, quae quidem praecipua in toto hoc loco videntur. Spectant ea partim ad Homericam imitationem partim ad elegantiores phantasmatum et narrationis omnino habitum, partim denique ad orationis dignitatem et ornatum.

Ipsam Aeneidis ideam, descriptionem et dispositionem partium ad Homericum partim Odyssaeae partim Iliadis exemplum factam esse negari nequit; pauca quoque carminis lumina locaque insigniora, et rerum orationisque ornamenta esse arbitror, quae a Virgilio sine exemplo inuenta et tum primum ex ipsa rerum natura adumbrata et descripta esse affirmari posse putem. Certe paucissima ex iis occurrere memini, quorum non aut exempla aut
femina

femina aut materias modo rudes modo inchoatas ac praeformatas ex Graeco aliquo poeta excitare aliquis possit. Atqui ex Graccis poetis tam pauci ad nos peruenerunt; quid si plures essent superstites, maxime Alexandrini? Neque dici potest, casu aut necessitate Graecum et Romanum poetam, dum eundem rerum et sententiarum orbem libero mentis meatu peruagantur, in idem phantasma aut sensum et dictum incidere potuisse ac debuisse. Factum hoc utique et saepe. Nec alterum, quod forte moneas, negari potest, multa passim ab Vrsino, Guellio, Cerda, Clarkio, forte et ab aliis pro imitatis et adumbratis afferri temere et sine iudicii acumine, quae partim similitudinem tantum, interdum et hanc satis obscuram, habeant, partim talia sint, ut sanus quisque et rerum intelligens homo, si easdem res exponat, iisdem modis ac verbis, iisdem sensibus ac sententiis usus sit; cuiusmodi multa a me omissa sunt, nonnulla eo consilio apposita, ut comparatione facta delectent. Sed Maroni innumeris in locis Graeca, Homeri imprimis, ante oculos fuisse, probant plura, et primum quidem totius carminis descriptio ab Homero petita, tot versus ad verbum latine conuersi, tot loca, quae exquisitiorem cultum et ornatum vel acumen vel doctrinam aut aliud quid reconditae naturae produnt, quae ea simplicitate, ut reliqua, enuntiaturus erat, nisi fuisset, qui iam occupauerat; porro graeca ratio flectendi verba vel orationem, quae ad indolem poeticae dictionis Virgilianae et genium pertinet; tum poetae ipsius professio *Ge. III, 10. Primus ego in patriam mecum—Aonio rediens deducam vertice Musas*; tandem veterum auctoritas, ut Senecae *Suafor. III, qui Virgilium non surripienti causa, sed palam imitandi, hoc animo, ut vellet agnosci*, in multis versibus alios expressisse affirmat. Manifesta haec imitationis Homericae vestigia in quam diuersas partes laudis vel reprehensionis a viris doctis deflexa sint, longum est dicere. Aliis nihil diuinius fuit imitatore Virgilio, aliis nihil ieiunius et sterilius.

sterilius. Equidem hoc in loco multa esse video, quae nec laudi magnopere nec veniae locum faciant, sed quae rei naturae et rationi ita sunt consentanea, ut quomodo aut quare aliter se habere debeant, causa idonea non appareat. Cum semel ad Odyssaeae et Iliadis tamquam magisterium Aeneidem composuisset poeta; quod quidem cur parum sapienter factum a Marone dicamus, non video, cum id inter Romanos a nemine adhuc fuisset tentatum; quidni Homerum in partibus quoque aut singulis locis sequendum putaret? et cum omnino vestigiis eius insisteret, quandoquidem argumentum affine ac simile tractabat, difficile erat cauere, ne in easdem passim rerum ideas, eadem phantasmata, easdem sententias, eadem *παύση* incurreret. Sunt autem multa, quae vno tantum modo recte dici et efferri possunt; multa quae, si naturae consentanea esse debent, variare velle ineptum sit. Praeterea non facile assequare, quomodo poeta doctus et Graccorum poetarum lectione subactum habens et ornatum ingenium, cum se ad opus suum conuerteret, ita omnia quae legerat, animo expellere et exturbare potuisset, ut nihil ex pristina lectione obuersaretur animo. Maxima autem eorum, quae imitatione expressa dici possunt, pars eius modi est, ut non tam data opera et studio HomERICA verba aut sententias reddere voluisse videri possit, quam ut potius in ea incidisse videri debeat, ipsa re ea, quae olim lecta et cognita in simili argumento memoria tenebat, iterum ad animum reuocante. Atqui hoc imitandi genus, tantum abest, ut reprehendi possit, (etsi nonnulli id faciunt in nostris quoque poetis, etiam in ingeniosissimo, Wielando,) ut poetam doctum nihil magis arguat et deceat. Sed in Virgilio reprehendendo vel laudando id, quod primo loco reputandum erat, non meminerant viri docti, poetam, etiamsi ingenium cum ad noua et intacta tulisset, hoc suae aetati suisque popularibus tribuere debuisse, aut saltem in opinione eius temporis communi

excusationem habere, cum ad artem poetae et ad maiorem carminis suauitatem pertinere crederetur, si multa ex Graecis essent expressa vel adumbrata. Perlustret mihi aliquis veterum poetarum ante Virgilium fragmenta, imprimis Ennii, omnia fere et singula ex Graeco aliquo poeta aut latine expressa aut imitatione adumbrata videbit. Etiam Plautus ac Terentius toti fere ex Graecis vel ad Graecos comparati et constituti sunt. Ad Graeca prorsus ingenia se composuere Romani; in Graecis pueritiam et adolescentiam consumeabant. Ex multis scriptorum, imprimis Ciceronis locis notior res est, quam ut plura de ea monenda sint. Itaque etsi ex culto iam fermone Romano, et pluribus Romanorum ingeniorum foetibus in publicam lucem eductis, tamen ne sub Augusto quidem destiterunt summi viri amare Graeca, ea exprimere latine, cum Graecis ornatu certare, eorum inuenta sua facere, multo magis si nouum carminis genus in Romanas literas inferrent. Horatii quidem Carmina pleraque ex Graecis Lyricis adumbrata esse nullus dubito; quandoquidem inter tam pauca fragmenta ex istis lyricis seruata vix vnum et alterum est, cuius non imitationem ab Horatio factam excitare possis; quid itaque futurum putabimus, si Lyricos Graecos integros cum Horatio comparare liceret. Neque aliter se rem cum Ouidio, Propertio aliisque habituram esse credere fas est, si Graeci Elegorum scriptores, imprimis Alexandrini poetae adhuc existerent. Quis itaque Virgilium reprehendat, quod popularium suorum sensum, iudicium ac morem sequutus totum se ad Graecos poetas in suis carminibus exprimendos applicuit. Noua accedere videbatur voluptas, quae delectationem in maius auctam afferret, si praeclara et suauis sententia simul graeci loci recordationem faceret, unde esset expressa. In Aeneide itaque pauci sunt characteres, vix vllum factum notabilius, vix locus aliquis praestantior, in quo non poetae alicuius Graeci, imprimis

mis Homeri, vestigia agnoscas. Sed in eadem Aeneide multo doctiorem et ingeniosorem imitatore agnoscas facile, quam in Eclogis, in quibus multa passim aliena a rerum veritate et ratione posita notauimus, et alia facile notari possunt, in quae poeta imitandi studio parum subtili incidit, ut cum pastor indoctus, Ararim et Oaxem memorat, aut in illis : *nuper me in littore vidi*, aut : *nouimus et qui te*, et id genus alia. Neque vero haec Graecorum imitatio aut ingenio carere aut iudicio putanda est. Est enim imitatio haec nequaquam seruilis illa aut affectata, cuiusmodi ab ingenio exili et ignauo proficisci solet, neque in alterius poetae verbis, modis et figuris variandis turpiter ingenii vires attriuit poeta ; sed ubi occurrerat aliquid ab alio cogitatum vel inuentum, statim rem suam fecit, et Homérico phantasmate tactus animus, tamquam scintilla idoneo fomite excepta, statim flamma correptus incaluit, et magno incendio exarsit. Hinc nouae rerum formae, noua genera, nouae interdum naturae. Nemo facile, si singula recognoscat et excutiat, non intelligit Virgilium, etiam ubi pressè sequitur, modo castigatiore, pulchriore vel augustiore rei phantasmate, Latini sermonis elegantia, aut nouo rerum ornatu, modo deducta feliciter ac deflexa ad aliud rerum genus sententia vel oratione, certasse cum Graeco poeta. Inprimis autem se Romanis in Homeri imitatione magnopere probare debuit cultus Augustei seculi, quo simplicitas inculta et horrida interdum Homeri vetustas modo ad honestiorem et mitiorem cultum a Marone, modo ad elegantiorum ornatum temperata est. Hoc nomine ipse Aeneas quoque commendabilior videri potuit. Omnibus eius factis, moribus ac dictis mitior aliquis humanitatis cultus inest. Apparatus rerum sunt ornatiores ; ornamenta dignitas, splendor et elegantia, *μεγαλοπρέπεια*, sed heroum personis digna, illustrat. Quae quidem res in longam disputationem adduci posset, si animi magis lubitum quam

scriptionis consilium prosequi mallems *. Verum cuique Virgiliani carminis virtutes rite aestimaturus alte hoc menti insidere debet, qua aetate, quo in populo, qua in vrbe, quos inter homines poeta vixerit, quem inde colorem carmen eius duxerit, vt, etsi saluo et integro heroicorum temporum more, purior tamen, mundior et castigatior esset carminis habitus, affectus et *πάθος* alia mitiorem alia grauiorem naturam omninoque cultioris aevi dignitatem haberent, heroumque mores, sententiae ac dicta, etsi heroicae aetati consentanea, spirarent tamen nescio quid ex elegantia seculi, vrbis et aulae, in qua poeta vixit.

Ad cultum Virgiliani carminis gratum et amabilem non minus spectat orationis indoles, quippe quae in simplicitate mirabili dignitatem seruat et grauitatem. Ornatum enim vario et exquisito, et sermonis poetici nitore, orationis dignitate et grauitate, sententiarum pondere, Homerum longissime antecellit, cuius laus praecipua in proprietate et simplicitate posita est, etsi nec vis et robur nec pulchritudo et interdum nec ornatus ei desit. Sed nec Virgilius in ornatissima oratione simplicitatem et proprietatem deseruisse videri debet; etsi sequiores scriptores multa orationis suae pigmenta et lenocinia ex eo adoptarint; sed male in pedestrem illatis iis, quae carmini erant propria. Certe poetici ornatus elegantis nec affectati praestantissimum et vnicum exemplar esse arbitror carmen Virgilianum; in hoc sermonis poetici genium primo constitutum et ad certa rerum principia ac regulas exactum deprehendere et troporum ac figurarum naturas et

* Scripta haec erant, cum in manus sumsimus Hurdii, elegantissimi Britanni, disputationem de imitatione poetica, qui praeclare rem expedit, quatenus et rerum a poetis tractandarum et ingeniorum tantam inter se esse affinitatem docet, vt plures eadem aut eodem modo eloqui necesse sit; bene etiam notas verae imitationis apponit; sed vt de Virgilii imitatione sententiam mutaremus, nihil ab eo allatum vidimus.

inuerfionum rationes descriptas et ad legem redactas dicere licet. Quae ipsa res animaduersa me adduxit, ut in sermone Virgilii poetico enarrando et explicando operam collocarem accuratiorem, quam in ullo alio scriptore recte consumi a me posse putem. Attamen in hac ipsa poetici sermonis constitutione poetae sagacitatis laus non tam in inueniendo, quam in inuento aliorum cum ingeniosa sagacitate in suos usus transferendo debetur. Alexandrinis enim poetis, Callimacho; Apollonio, Nicandro, Arato, poetici sermonis indoles et natura vnice est accepta referenda; hoc eorum docent scripta in summa simplicitate cultum, nitorem et ornatum admirabilem, et quem ex omnibus aetatibus neminem alium assequutum esse vidimus, referentia. Videntur scilicet poetae doctissimi et Ptolemaeorum contubernio expoliti animaduertisse, non infeliciter Tragicorum tumorem HomERICA simplicitate temperari posse. Hos Maro auctores habuit, cum tanto maiore iudicii laude, quod Ennius et ceteri, qui praecesserant, de orationis elegantia et ornatu castigatiorum parum laborauerant.

Placet nunc in fine subiicere nonnulla et per saturam monere, quibus virorum doctorum quorundam opinionibus, quas totam carminis indolem vel characterem tollere videas, tacite aut expresse a nobis occurratur; nam in contentionem cum quoquam descendere nec ingenii nostri nec moris est.

Primum de consilio, quod poeta in Aeneide conscribenda secutus sit, et de fine, quem propositum habuerit, multi varia comminiscuntur. Nihil quidem magis alienum esse potest ab epico carmine quam allegoria; iugulat enim totam eius vim, rerum et hominum dignitatem attenuat, gratum animi errorem excutit et aestum inter legendum refrigerat, voluptatemque omnem intercipit. Certatim tamen viri docti argutiis suis Aeneae personam nobis eripere et Augustum submittere allaborarunt. Etiam ex parata noua in Latio sede miseros Troianos

exturbarunt; adumbratum esse a poeta nouum tum Romae constitutum vnus principatum. Simili acumine alii arcana, nescio, quae dominationis Augustae consilia in Aeneide condenda deprehendere sibi visi sunt. Ita Spencius, elegantis ingenii vir *, πολιτικὸν epos esse Aeneidem sibi persuasum habet, neque aliud quicquam poetam spectasse, quam vt animis libertatis ereptae desiderio aegris fomenta admoueret, et nouum principem approbaret. Nihil tamen Aeneae personam, fortunam, facta et fata habere videas, quod ei consilio respondeat; nullus in Aeneide populus est liber, qui dominum accipiat; nulla monarchiae bona videas exposita aut commendata; verbo nihil occurrit, quo libertatis amore contacti animi adduci aut allici possint, vt a bono principe malint tuto regnari quam cum libertatis vano nomine paucorum potentum dominatione vexari. In Iuliae gentis honorem, quae a Iulo Aeneae filio originem ducere videri volebat, Aeneidis opus si non susceptum, nonnulla tamen passim suauiter memorari, ad Augusti laudes ingeniose alia inferi, ipsa carminis lectione manifestum fit et a veteribus quoque Grammaticis iam monitum est locis pluribus; sed quantum vim ea ad dominationem Augusti commendandam habere potuerint, mihi non satis constare lubenter fateor. Neque, si noua Aeneae sedes in Latio diuinis humanisque iuribus vallata fuerit, quale inde propugnaculum nouo Augusti regno partum sit intelligo; vt adeo, si demonstrari hoc possit, poetae consilium illud in Aeneide condenda propositum fuisse, parum feliciter eum hac in re versatum videri dicerem.

In eandem tamen opinionem iam ante Spencium inciderat Vir doctus inter Francogallos †, qui inprimis simi-

* Polymetis Dialogue III. p. 17 sqq. quem passim sequuntur Wartonus, Holdsworthus et alii.

† Mr. l'Abbé Vatri, *Discours sur la Fable de l'Eneide. Mem. de Litterat. To. XIX. p. 345.*

litudinem inter Aeneae et Augusti personam et fortunam diserte persequitur. Ingeniose eum ludere non neges; et multorum doctorum virorum communis est opinio, Augustum sub Aeneae persona esse adumbratum; eo spectare virtutes Aeneae a poeta tributas; eo referunt multa alia. Videas nonnullos tam egregie sibi placere in hoc inuento, ut undique conquirant et venientur ea, quae ad Augustum accommodari possint. Sic oris dignitas lib. I, 593. *Os humerosque deos.* cum assentatione in Augustum memorata est. Plura huius generis v. c. apud Iortinum Diss. VI. p. 248. et alios inuenias. Ignoscenda haec putem alicui ex media assentatorum turba, qui Aeneide lecta vnam vel alteram Aeneae laudem ad Augustum traheret, ut Principi palparet. Sed ut poeta tam dissimiles personas, fortunas, virtutes et facta ac res gestas inter se comparare voluerit, mihi quidem si Maronis iudicium et elegantiam recte teneo, parum probabile videtur.

Eadem fere via carmen *πολιτικόν* conditum a poeta visum iam olim erat R. Patri *le Bessu* (*Tr. du Poëme epique* Lib. I. c. XI.) ut Romanos partim ad amplectendum et probandum praesentem rerum flatum adducere, partim Augustum ad moderationem ac clementiam adhortari et a dominationis libidine et impotentia reuocare voluerit. Sed nec huic consilio vlla ex parte respondet Aeneidis siue argumentum siue tractatio; profugus ex vrbe incensa Aeneas nouam sedem quaerit, armis vim illatam propulsat, et sic porro; quid tandem his inest quod ad imperandi artes ac virtutes spectet?

At fabulae Virgilianae vniuersae inesse et in singulis carminis partibus aut locis ac versibus occurrere talia, quae principibus pro salubribus praeceptis commendari possint, nemo neget; quin potius inter utilitates, quae poetarum carminibus debentur, praecipue hoc commemorandum est. Verum non propterea dici potest ac debet: in condendo carmine et in fabula deligenda et ordinanda tale praeceptum propositum poetae fuisse, cuius expli-

candi causa narrationem institueret. Narrare ille voluit ac debuit rem magnam et altam et mirabilem. Quod narratio illa et delectatio, quae inde accipitur, cum utilitate ad omnes hominum ordines, imprimisque ad principum animos coniuncta est, hoc epicae narrationi per se consentaneum est; ipsa enim rei natura ita fert, ut magnorum virorum facta magna et praeclara sine summo ad hominum animos, mores ac virtutem fructu exponi et narrari nequeant, multo magis si cum sententiarum splendore et orationis ornatu instituta sit narratio.

Mores Aeneae ad Augusti mores esse siue accommodatos seu inde adumbratos, nobis quidem parum probabile videri, iam supra innuebamus. Sapientior erat poeta et rei poeticae intelligentior, quam ut talem cogitationem in animum admitteret. Nam praeterquam quod Aeneae characterem non inuenit, sed ab aliis iam traditum accepit, circumspectandae erant a poeta virtutes Aeneae eiusmodi, quae in epico argumento vim et splendorem haberent, et factorum, quae enarranda erant, causas idoneas suppeditarent. Quod si ille studium suum ponere voluisset maxime in hoc, ut Aeneas Augusto assimularetur, quam multa et quam parum consentanea epicae narrationi, argumento, operis characteri, temporum rationi, illaturus in carmen suum fuisset poeta!

Dissimilem tamen omnino Homericorum heroum aiunt esse Aeneam; inferiorem quoque Achille et Ulyssae; sola pietate insignem. Quid igitur? si Aeneas alter esset Achilles? alter Ulysses? annon exscriptum potius et seruii imitatione expressum eum dicturi sint? Non ego is sum, qui coeco aliquo poetae mei amore nihil ab eo peccatum esse contendere velim. Iliadis argumentum feliciter et epicae dignitati propiorem materiam habere si quis dixerit, me habet assentientem; et delector ipse multo magis Homeri lectione quam Virgilii; Enimuero non omnia carmina epica ex vno et eodem genere procedere possunt; post Achillis autem iras et Ulyssis sapien-

tiam

tiam seu vafritiem, quae et priscae aetati et epico carmini accommodatior erat, quam sapientia, cum variandum et nouandum esset aliquid poetae, quidni Aeneae virtutem, quam cum ceteris heroibus communem habet, fortitudine animi in perferendis calamitatibus et obsequio erga deos temperaret? Ad hoc eum ipsa rerum ac temporum mutata ratio ducebat, et ea, quae de Aeneae erroribus et aduentu in Latium tradita a superioribus poetis erant, reuocabant. Monitis deorum et oraculis omnia ab Aenea suscepta et confecta, Penates et sacra patria ab eo in nouas sedes illata, narrauerat antiquitas; (v. Disquis. II.) quid itaque magis rei consentaneum, quam vt heros insignis pietate et religione exhiberetur? Neque vero non videre debuit tantus poeta, ad rerum magnitudinem et augustam aliquam dignitatem religiosas res, causas et consilia, eximiam vim habere. Itaque hoc quidem tamquam rerum cardine praeclare est usus, vt praedictionibus variis animos spe et expectatione teneret suspensos, religiosamque aliquam et augustam speciem rerum euentibus praetenderet *. Achilleum quidem robur et iracundia aliena erant a toto argumento; sedata et placida et humanitatis sensu temperata est Aeneae virtus; et licet concedendum sit, epicam vim maiorem Achilli inesse, non tamen omnes epicas personas Achillem referre posse manifestum est. Meras pugnas Homericis similes et beluina fortitudinem vix probasset Augustei seculi elegantius et mollius iudicium. Cum itaque omnino Aeneidis alius ac diuersus prorsus sit character quam Iliadis, quis non videt importunum esse, in Aeneide requirere ea, quae Iliadi sint propria; easdem animorum inflammationes, aestus, tempestates? At insunt Aeneidi alia, quae probes; quidni in his acquiescas! Sed infinitum esset omnia per-

* Multus est Seruius passim in hoc, vt Aeneam ex Flaminis alicuius vel Pontificis persona egisse doceat v. c. IV. 29. prauo ytique acumine, cuius tamen fundus aliquis esse debuit.

sequi, quae ab iis, qui subtiles poetarum iudices videri volunt, dum rerum argumenta, exempla, causas et rationes miscent, temere laudantur ac reprehenduntur, imprimis quoties Virgilium et Homerum inter se comparant. Sed nobis retundendus est omnis, quo abripi possemus, impetus. Itaque nec Warburtoni, Viri S. R. sententiam attingemus, (*Divine Legation of Moses* T. I. B. II. Sect. IV.) qui perfectum legum ferendarum auctoris exemplar in Aenea exhibitum esse a poeta voluit; imprimis cum alio loco (ad Lib. VI, Exc. X.) paucis ea de re monitum sit.

Aeneidis argumentum septem annis absolui, parum accurate traditum videtur. Aeneae errores septem annos explere verissimum est. v. Exc. II. ad lib. III. Sed ipsa carminis narratio non nisi cum septimi anni aestate exordium habet (v. ibid. p. 353) eodemque anno absoluitur. Pari errore Odysseae argumentum octo, nouem vel decem annis comprehendi creditum est, cum tamen illud intra triginta sex vel septem dies ad exitum perducere manifestum sit ei, qui animum aduerterit.

Multo minorem esse characterum, hoc est, virorum factis ac virtutibus insignium, numerum ac varietatem in Aeneide quam in Iliade conqueruntur passim multi; nec sine poetae reprehensione versus memorant ex Aen. I. 220. sqq. *fortemque Gyam fortemque Cloanthum*; inique admodum et ut sibi ipsi, quid velint, parum constare videantur. Nam locus quidem laudatus nullos heroes recitat, quorum personae vim aliquam habere debeant epicam; sed veniunt illi viri in censum et turbam eorum, qui tantum nomine laudandi et epitheto suauitatis causa ornandi sunt: quales apud Homerum innumeri illi pugnantes vel caesi *ισθλοὶ, ἀμύμονες, κρατερὸι, αἰχμηταὶ*, et sic porro. Excusant Voltarius et Addisonus poetam, sed tam argute, ut summorum virorum subtilitatem mireris. Alter, cum Homerus, inquit, cessantem a pugna Achillem exhiberet, alios interea fortia facta edentes exhibere debuit, quod in Aeneide

Aeneide secus sit. Alter ad Virgilii elegantiam hoc refert, quod, cum Augustum vellet adumbratum, neminem ei virtute parem adiunxerit. Enimvero cum argumenti indoles et natura totius tractationis mensura et regula sit, plures utique factorum et rerum gestarum focii et participes esse nequeunt, quam quos res ipsa postulat; et, si paucos alios, qui virtute emineant, in carmen suum induxit poeta, neque adeo Homerica ingeniorum et morum diuersitate delectat: at sapientiam viri miremur saltem in hoc, quod tanto magis inter omnes vnus Aeneas insignis virtute eminet, nec eius splendori quisquam alius nisi Turnus forte, officit. Quae res tanto difficilior erat, cum is nec Achillea aliqua corporis animique virtute omnes mortales antecellat, nec, quorsum immanis efferati animi iracundia aut acceptus Patrocli funere dolor erupturus sit, sollicitos nos teneat.

De versu Virgilii epico eiusque ad aurem suauitate ac grauitate nonnulla disputare iuuaret, nisi maiorem subtilitatem ea res haberet, quam ut legentum animos et oculos tenere possit. Illud vnum monebimus, in errorem inducere iuuenilem animum videri eos, qui nimii in eo sunt, ut ad rerum sonos et naturas accommodatos et formatos velint esse versus. Equidem non diffiteor sensum me animi refragantem habere, quotiescunque persuadere mihi volo, magnum aliquem poetam aestu tantarum rerum abreptum et magnorum phantasmatum vi inflammatum in sono cursus equestris vel tubae vel aliarum rerum reddendo laborare; Attenuat ea res et deprimit ingenium poetae et artis poeticae dignitatem. Sunt tamen, ais, tales versus in optimo quoque poeta. Recte; sunt utique multi; etsi plures alios ad hoc lusus genus accommodare solet eorum ingenium, qui talibus rebus indulgent. Sed mihi ad poetices indolem propius esse videtur statuere, ipsam orationis naturam ita esse comparatam, ut multarum rerum sonos exprimat; inflammatum autem phantasmatum specie obiecta animum, cum rerum species sibi obuersantes

vt oratione viuide exprimat, laborat, necessario in ista vocabula incidere, vel orationis proprietate ducente. Ita graues et celeres, lenes ac duros sonos vel non id agens et curans ad rerum naturam accommodabit et orator quisque bonus et multo magis poeta.

DISQVISITIO II.

DE RERVM IN AENEIDE TRACTATARVM INVENTIONE.

QUALE in inueniendis rebus omnino Virgilii ingenium fuerit, non tam secundum illud in excogitandis nouis rerum generibus, nec audax ad suscipienda vel tentanda intentata ab aliis et intacta, aut ea, quorum successus esset dubius et incertus; sed, quae nec minor laus est, natum et factum ad inuenta priorum rudia et inchoata perficienda et polienda ornandaque; quam admirabilis porro ac felix fabulae, quam sibi carminis argumentum fecit, natura sit et quantum in hoc dilectui iudicium emineat: superiore disquisitione expositum est. Restat, quod illo loco polliciti sumus, vt paucis declaremus, vnde poeta fabulam suam eiusque tam copiose instruendae et ornandae materiam acceperit, vt inde clarius appareat, quae et quanta inuenti laus poetae ingenio ea in re debeatur, et quam limatum et subtile eius fuerit iudicium in deligendo sibi argumento eiusmodi, quod ingentes rerum et ornamentorum haberet copias iam ab aliis paratas et subministratas, vt doctrina tantum et iudicii sagacitate opus esset ad dilectum faciendum.

Solent fere Interpretes, quantum intelligo, quique alii hac de re agunt, ita statuere, vt poetam famam aliquam obscuram de Aeneae in Italiam aduentu sequutum esse dicant. Enimvero ex iis, quae a Dionysio Halic. lib. I. a Strabone lib. XIII. a Plutarcho in Romulo, a Festo in *Roma*, Sext. Aurelio Victore de O. G. R. et a Seruio

passim ad Virgilium memorantur, omninoque ex accuratioris historiae cognitione manifestum sit, fuisse hanc de Aeneae erroribus, deductaque Troianorum in Latium colonia, narrationem inter illustriores et a multis Graecis Romanisque scriptoribus poetisque expositas ornatasque historias. Poterant hoc docere saltem ea, quae, etsi diuerso consilio, congeffit Ryckius in Diss. de primis Italiae colonis et Aeneae aduentu. (ad calcem Holstenii Notar. ad Stephan Byzant.)

Omnino quidem de Aeneae in Italiam aduentu fabulae, (si fabulam dicimus, non ficta statim ac commenticia res ponitur, sed fabula, *μῦθος*, omnem veterem historiam designat, antequam litteris consignari et sermone pedestri exponi cœpisset) huius igitur fabulae fundus habetur Homeri ille locus notissimus Il. 1, 307. 8. * ubi Neptunus diis auctor est, ut Aeneam cum Achille congressum imparem pugna educant, ne eius morte Dardani posteritas deficiat, quem tamen Iupiter prae ceteris liberis diligat omnibus; at Priamum cum progenie Ioui nunc esse inuisum; itaque Aeneam eiusque posteros Troianis esse imperaturos:

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείας βῆ Τρώεσσι ἀνάξει,
καὶ παῖδες παίδων, τοὶ κεν μετόπισθε γένωνται.

Regnum his versibus Aeneae posterisque eius promitti manifestum est; sed quo in loco illud fuerit, varia apud veteres fama fuit; quandoquidem de Aeneae erroribus ac sedibus tam diuersè traditum erat †, cum alii eum in Thraciae littore, in Arcadia alii, alii in Sicilia, alii in

* Translatus ille ac repetitus in H. in Vener. 197. 8. et a Virgilio praeclare in oraculum Delphis Aeneae datum conuersus: *Antiquam exquirite matrem. Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris Et nati natorum et qui nascentur ab illis.* III. 96. 8. Et hinc versus illi pulcherrimi lib. IX. 446—9. expressi.

† V. ad Aen. III. Exc. I.

Italia, quae fama tandem prae ceteris credita ac celebrata est, confedisse et vitam finiisse narraissent; fuerant quoque qui in ipsa Troade regnum illud constitutum esse vellent. Non nobis iam id quaeritur, quae harum narrationum ceteris verisimilior sit; verum nostra eo spectat disputatio, ut ex hac ipsa narrationis varietate manifestum fiat id, quod volumus, non obscurum aliquem in veteri historia aut inter poetas virum fuisse Aeneam, nec eius fata et res a Virgilio demum inuentas esse et excogitatas. Illa enim ipsa narrationis diuersitas auctorum, qui de Aenea traderant, et poetarum, qui idem argumentum tractauerant, diuersitatem et copiam arguit. Ut enim poeta quisque in materiam ab aliis ante se tractatam incidit, ita, ut suo consilio vel totam fabulam vel inde partem accommodet, refingere nonnulla et mutare, addere vel detrahare solet. Historici autem Graeci dum suae ciuitatis seu populi origines repetebant, popularem famam sequebantur. Solenne enim hoc omnibus Graeciae ciuitatibus, ut stirpis vel urbis conditorem haberi vellent clarum aliquem ex vltima antiquitate heroem. Cum vero multae passim per Graeciam sparsae essent Troianorum coloniae, quid mirum, eas omnes originem suam ad Aeneam referre maluisse? Vnde diuersitas illa famae et narrationis necessario oriri debuit. Non itaque, ut hoc obiter moneamus, antiquis fabulis omnino fidem detrahit narrationis diuersitas; manet enim semper fundus aliquis non magis veritate sua destitutus quam quae ab auctoribus grauissimis traduntur; et praeclare haecenus Thessalus Hippocratis f. in Περσέων. Οὐ μῦθος τὰ Τρωϊκὰ ἀλλ' ἔργον adeoque vanam disputationem instituisse videri possunt Cluuerius et Bochartus, qui ex ista opinionum diuersitate probare voluerunt, Aeneam nunquam ad Italiam accessisse. Acriter satis eorum impetum retudit Ryckius in diss. laudata, sed argumentis promiscue effusis et iudicio parum subtili. Nec vero ultra famam si non certam ac constantem, potiore tamen ac celebriorem, quaestio illa de Italia ab Aenea adita expedi-

diri et firmari potest; est tamen talis fama in omni antiquitate pro fide ac probabili ratione, in qua acquiescere et quam sequi necesse est.

Iam poetae ne ista quidem potior rerum fides ac probabilitas sectanda, si tamen satis tenere animos vult, ea ratio sequenda est, quae celebritate et claritate ad popularium animos maximam vim habere potest. Etsi itaque inter Graccos scriptores magnus erat ea de re dissensus, cum tamen Romani scriptores de Troianorum in Italiam aduentu Albaeque Longae originibus ab Aenea eiusque progenie repetitis vno ore traderent, (v. inprimis Sext. Aurel. Vict. de O. G. R.) iure suo Maro fabulam hanc inter Romanos celebratam praeferre ceteris potuit ac debuit.

Antequam ad alia progrediamur, de loco Homérico supra memorato pauca adhuc monebimus. Produnt Homeri verba satis aperte regnum aliquod, quod Aeneas eiusque posterius obtinuerint. Homerus itaque, qui propior aetate ad Troiana tempora vixit, famam aliquam, ut solet, illo tempore superstitem ea de re sequutus est; nisi forte ipse in itineribus suis in posteros Aeneae incidit. Fuisse regnum illud in ea ipsa Troade, in qua Priamus regnauerat, ea est verborum sententia, quae legentibus locum prima occurrit; atque ita veteres locum sunt interpretati (v. Strab. XIII. p. 608. C.) fueruntque adeo, qui, cum Aeneam in aliis terris regnum condidisse mallet, interpolatione facta *πατρίεσσιν* pro *Τρώεσσιν*, in suas partes poetam traherent. Alii diuersum ab Anchisae Venerisque filio Aeneam fuisse statuebant; erant quoque, qui de patre male memoratum dicerent, quod ad Ascanium esset reuocandum; alii denique Aeneam rebus in Italia constitutis Troiam esse reuersum ex eodem illo loco sibi persuaferant. Quam celebrata inter veteres et nobilis debuit esse narratio, quae cum tanta opinionum varietate in diuersas partes tractaretur!

Strabo quidem vulgari narrationi de Aeneae erroribus et Italiae aditu omnino repugnare locum Homericum existimabat;

istimabat; in hoc enim innui, Aeneam in Troia mansisse, in regnum successisse idque posteris suis reliquisse. Potuit tamen Troianis imperari ab Aenea etiam aliis in locis, etiam in Italia; et vel hoc posito, sententia sua Homérico loco constat; quod iam Dionys. Halic. acutus scriptor, vidit, lib. I. c. 53. Quod tam obscure oraculum illud Neptuni extulit Homerus, etsi ad naturam et morem vaticiniorum accommodate illud factum est, ratio tamen eius rei reddi potest etiam haec ipsa, quod in terris longinquis regnum illud Aeneae constitutum erat; unde non nisi obscura et incerta fama inter Graecos de eo esse poterat. Quam parum enim frequentatum Graecis et notum mare Tyrrhenum et Adriaticum Homeri aetate fuerit, vel ex Odyssae fabulis intelligas, quae intra illa maria continentur, neque satis probabiliter a poeta narrari potuissent, nisi eius popularibus parum adhuc nota adeoque fabulis idonea plaga illa fuisset.

Vt tamen Troia euersa discessuque Achiuorum facto dispersos fuga Troianos iterum in ea loca conuenisse et regni aliquam speciem restituisse credamus, plura fidem faciunt, et eo plures poetarum narrationes alludunt. Secundum eos, quos Dictys lib. V. extr. sequitur, regnum Troianum Antenori ab Achiuis ex pacto concessum mox fuit ab Aenea tentatum, sed frustra. Demetrius autem Scephius, etsi eum ciuibus suis gratificari voluisse suspicari licet, Scephios suos post Troiae excidium a Scamandrio, Hectoris f. et ab Ascanio Aeneae, regnatos esse tradiderat, v. Strabo, l. c. p. 607. sed accurate eam rem vt persequamur a consilio alienum est. (Confer tamen ad lib. II. Exc. XVII. p. 256.) Videntur autem paullo post in novo hoc regno turbae factae inter viros principes ex regia stirpe oriundos, et hinc noua discidia, noui discessus et in alia loca profectiones sequutae. Hoc quidem modo diuersissimae istae scriptorum rationes componi et conciliari inter se possunt omnes.

Sed, vt diximus, nobis non tam id agendum est, vt
diuersitatem

diuersitatem narrationis in consensum redigamus, quam ut copiam rerum narratarum, quae poetae pro materia carminis esset, ex hac ipsa varietate declaremus. Sunt autem multa, quae etsi ab aliis alia ratione tradantur et ornentur, fundum tamen communem priscae alicuius et a maioribus acceptae narrationis aperte prodant; sunt alia, in quibus omnes fere conueniunt, ut Callistratus, Satyrus et Arctinus, hic quidem antiquissimus, in hoc, quod Aeneas Penates cum Palladio abstulerit. (vide ib. c. 68. 69. adde Lycophr. 1261 sqq. Xenoph. de Venat. non longe a pr.) quod patrem et filium secum duxerit. (v. partim ibid. partim Auct. de Orig. G. Rom. c. 9. et 11. et inprimis egregius ex Sophoclis Laocoonte locus ap. Dionys. I, 48. *Νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνεΐας ὁ τῆς θεοῦ Πάρις', ἐπ' ὤμων πατίρ' ἔχων κεραυτίου Νώτου κατασάζοντα βύσσινον φάρις.* conf. inf. Exc. ad II, 721.) A Strabone XIII. p. 607. inter *πολυθρύλητα* memoratur et hoc, et alia, de quibus figillatim suis locis videbimus, inprimisque quod in Latium discesserit Aeneas, et secundum oraculum eo loco confederit, vbi mensam comederant. Vulgarem hanc inter Italos fuisse fabulam, ut et alteram illam de sue grauida, copiose docet Dionys. Halic. I, 55, 56. Conon Narrat. 46. et ex Lutatio, Catone et Caesare Auctor de Orig. G. R. c. 11. 12. e quo omnino patet (adde Ryck. l. c.) ex scriptoribus Romanis antiquis non facile vllum fuisse, qui Aeneae fata et aduentum in Italiam non exposuerit. Item Varro de RR. II, 4. Adde Lycophr. 1250 sqq. (vbi male *πύργους τριάνκοντα* iungunt, iam inde a Scholiaste; sed per *πύργους* exponi puta *χώραν*, et *τριάνκοντ' ἐξαριθμήσας γονὰς* ad suam spectare.) Inter cetera tamen omnium maxime notabile videtur illud, quod Graeci scriptores dudum ante Augusti tempora originem Romanorum a Troianis Aeneaque duxerunt, et imperium orbis terrarum ex Homericis de Aenea versibus ad eos transtulerunt, v. Conon Narrat. 46. et inprimis Lycophron v. 1226 sqq. Apponerem loca, nisi breuitati fraderem; erit etiam non-

nulla ex his persequendi commodior locus, quando de singulis agetur. Est enim nobis hoc inprimis propositum, ut vestigia, etiam obscura, veteris historiae scrutemur, quibus instituisse ubique poeta videri potest. Nec enim ille facile sine auctore loquitur. Simul adolescentes exemplum mature habere cupimus, nam praeceptis haec res non facile expediri potest, quo consilio, qua ratione, ac quo studio in narrationibus mythicis versandum sit. Nihil enim aliud agere velle, quam cognoscere ac quaerere ac in vnum locum congerere, quid hic vel ille et sexcenti alii eadem in re tradiderint, censuerint, somniauerint, hoc est, opera et otio abuti. Contra utilitatis illi studio et honestatis inest plurimum, si modo veteres historias populorumque origines, modo priscorum hominum mores ac vitam vel sermonem vel religiones, modo poetarum inuenta inde illustres, addiscasque quae illi, quos nobis fortuna serua-uit, ex antiquioribus poetis ante oculos habuerint, quomodo illa variauerint, ornauerint, quid in quaque re, in quoque consilio, quod sequerentur, spectauerint; utque ab ingenuis poetarum fabulis inepta illa grammaticorum, monachorum et interpretum commenta diligenter discernas. Sed nunc vniuerse nonnulla, quae ad fabulam Aeneidis spectant, summam exponere consilium erat.

Quod per praedictionum ambages totus Aeneidis decursus praecipitur, inter ingeniosissimi poetae inuenta iam alio loco numeratum est. Est tamen etiam hoc commentum tale, ut rem non excogitasse, sed commode oblatam sapienter in usus suos conuertisse dicendus sit. Miro enim omnium scriptorum consensu tota de Aenea narratio per vaticinia, oracula, somnia, auguria et omnia exigitur, siue hoc poetarum, a quibus ab initio fuit tractata, siue antiquorum hominum, a quibus posterius eam acceperunt, ingeniis tribuendum est. Troiani sane a Phrygia, auguriorum omninoque vaticinandi ac diuinandi artium quasi matre ac sede, digressi multas huius generis fabulas in Gracciam et Italiam apportare debuerunt. Fuisse adeo,

qui disciplinam auguralem e Phrygia in Italiam allatam traderent, e Servio ad lib. III. 359 discas; nisi Tyrrhenos iam ante eas artes tenuisse credendum est. Etsi omnino gens prisco tempore fuit nulla, quae non significari futura, et a quibusdam intelligi praedicique posse censeret (Cic. de Divin. I. pr.) Inprimis vero in deducendis coloniis summa oraculorum vaticiniorumque auctoritas erat; quod satis vel ex vno Herodoto constat. (Cf. Cic. l. c. c. l. f.) Ad sedes itaque Troianis in Italia constituendas oraculis et vaticiniis nihil videri debuit accommodatius. Poeta certe egregie hanc veterem superstitionem seu religionem est amplexus, maiorumque fama et historiarum fide in Troianis suis eo usus est, ut per fatorum decreta ac deorum interuentum omnia ab eo narrata procederent. Callide autem ab obscuris et incertis ad certiora magisque definita progressus discendi cupiditatem subinde novis stimulis incendit. Primum lib. II, 281 sqq. Hectoris umbra Aeneae per somnum suadet fugam, *novamque in alia terra, ultra mare*, quod Troadem alluit, *coloniam* promittit. Mox auspicium, primum flammae in Iuli capite, II, 681, tum exorti subito metcori v. 692 receptum ad Idae munita loca et *spem posteritatis ex Iulo* ostendunt; nec non Creusa *Hesperiam* sedem futuram interpretatur v. 781 sqq. (ubi Excurſ. videndus.) In Delo Phoebi oraculum alia de ea terra declarat, *quod inde Troiani originem ducant, et quod ibi magnum imperium constituturi sint Aeneae posteris* III, 94 sqq. quae cum in Creta confidere vellent, Penates per somnum Aeneae oblatis de Italia manifestius exponunt, v. 163 sqq. post quae illa recte ab Aenea dici potuerunt lib. I, 380. sqq. *Italiam quaero patriam* etc. Unum aliquid adiciunt Harpyiae de comestis post epulas mensis, tamquam futurae sedis ac coloniae signo, III, 254 sqq. Tandem Helenus in Epiro omnes casus iam manifeste ac clare exponit III, 374 sqq. etiam de sua XXX. porcellos enixa, alia a Sibylla expectanda esse monet. In Sicilia per somnum Anchisae anima discern-

sum ad inferos, V, 730 sqq. et apud Cumas Sibylla accessum ad Lauinium, bellum et Euandri societatem praedicat VI. 83 sqq. Adde his ipsum posteritatis recensum apud inferos, et VI, 891. 92. *Exin* (Anchises) *bella viro memorat quae deinde gerenda Laurentisque docet populos urbemque Latini Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.* Omnia haec secundum aliquam auctoritatem apponi, partim in singulis locis videbimus, partim ex sequentibus patebit.

Omnino praedictio aliqua ab initio iactata fuit, qua everso Ilio Anchisae Aeneaeque maior rerum ordo, maiora fata promitterentur. Eo ipsi Homerici versus ducunt supra memorati, ex Il. v, 307. 8. Tum in Sophoclis Laocoonte Anchisen, *mandatorum a Venere acceptorum memorem*, de fuga cogitare filiumque, ut in Idam se reciperet, hortari intelligas ex fragmento apud Dionys. I, 48. quod forte noster respexit, dum Venus Aeneam hortatur lib. II, 619. *Heu fuge, nate dea* etc. Etiam praedictionem illam, sedis condendae locum fatalem illum fore, ubi fame compulsi menfas comedisent, iam pridem Anchisae a Venere factam, e Caesare lib. I. et Lutatio lib. II. monet Victor O. G. R. II. *Tum Anchisa conii- ciente, illam esse miseriarum errorisque finem, quippe meminerat, Venerem sibi aliquando praedixisse* etc. et c. 9. ex Alexandro Ephesio lib. I. de bello Marfico: — *Idam petit, ibique nauibus fabricatis — oraculi admonitu Italiam petit;* et Dionys. I, 55.—ne in vltiores Europae partes classis Troiana nauigaret, οἷτε χρησμοὶ ἐγίνοιτο αἴτιοι, τέλος λαβόντες ἐν τούτοις τοῖς χωρίοις, καὶ τὸ δαιμόνιον πολλαχῶς τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ἐνδεικνύμενον. Narrat inde portenta in appulsu ad Laurentum facta, latices fontis repente e terra profuscentes, et menfas absumptas.

Fuisse etiam somnium aliquod Aeneae celebratum a multis, ex Cic. de Div. I, 21 apparet: *Sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnium: quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eius-*
modi

modi est, ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt, quaeque illi accederunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt. Narratum igitur erat apud Num. Fabium, qui dum graece scripsit, graecos auctores sequi potuit, somnium, quo fata Aeneae exponerentur per quietem ex ordine, qua deinde euentus comprobauit.

Porro multos passim Penatum monitus, quos Aeneas acceperat, fuisse memoratos, ex Serui loco discere licet ad III, 148 Penates — *quos quidam dicunt, ideo inductos a poeta monere per somnum: monitu nam eorum per quietem iussu cum Latino foedus fecisse; eorum etiam monitu Latinum Aeneae se coniunxisse;* (haec eadem ap. Dionys. I, 57 occurrunt) *eosdem tradit (Varro) visos aliquoties in somnis, quid fieri vellent, imperasse, eaque nostros publice curasse maiores.* Etiam dubitationem post appulsum ad Laurentem agrum de loco nouae urbis capiendo secundum nonnullos oblata per quietem Aeneae dii patrii diremerant ap. Dionys. I, 56. descripta et haec e Catone in origine gentis Romanae, quem eo toto loco sequitur; nam totidem verbis ex illo libro leguntur ista ap. Auſt. de O. G. R. c. 12. extr.

Latinus Fauni oraculo monitus fuerat, ut generum sibi sumeret extraneum aliquem et cum eo regnum communicaret. Sic Virg. Aen. VII, 254 sqq. Paria ex Catone (non ex Q. Lutatio) prodit Victor de O. G. R. 13.— *utpote qui (Latinus) in hoc consilium auctoritate numinum cogeatur; namque extis ac somniis saepe admonitus erat tutiorem se aduersus hostes fore, si copias suas cum aduenis coniunxisset.*

Similiter etiam in ceteris, quae ab Aenea in Italia gesta sunt, nihil aliud poetam egisse, quam ut antiquas historias suis consiliis accommodaret, ex iisdem auctoribus clarum est, et infra quoque suo loco sigillatim monebitur. Quam auctoritatem in excidio Troiano sequutus sit, pluribus Excursibus ad lib. II. declarabitur.

Satis, puto, ex iis, quae adhuc dicta sunt, intelligitur,

materiam carminis poetae mira fortuna oblatam fuisse, non ab eo excogitatam et inuentam. Tractationem autem et ornationem etsi non magis poeta a se petiit, Homeri tamen vestigiis insistendo eam laudem sibi parauit, ut elegantiore iudicio, maiore cultu et exquisitiore ornatu omnia persequeretur.

Etiam hanc argumenti, quod poeta tractandum sibi sumserat, felicitatem aliquam habendam esse supra diximus, quod cum per deorum ministeria res esset exsequenda, offerrent se Iunonis et Veneris numina, quae poetae causae tam praeclare seruiunt, potentissima illa et ipsa fabula iam dudum consecrata; nam quod insigni Veneris cura habitus est Aeneas, id iam ex Homero familiare sibi habet lector, et Iunonis odium in Troianos, non minus ex Homero notum est. Iam eximio aliquo fortunae beneficio res ita serbat, ut alterius deae numen Carthaginiensibus et mox Turno accommodari posset, altera autem dea non modo tamquam Romanorum tutela constanti religione coleretur (cf. Lucret. I. pr.) verum etiam Iuliae gentis prima stirps et origo haberetur.

In Iunonis autem odio tractando et ad poeticam vim temperando poetae prodesse potuere Ἡρακλείδαι, carmina, quae olim exstabant de Hercule, quale v. c. Stesichori fuit. Iunonis enim odiis plurima in his videntur fuisse expedita; qua in re iam tot in locis Homerus praeiuerat, v. c. Il. ε, 119. ξ, 256 sqq. ο, 25, sqq.